



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Persenniæ Et De Pinv Abbatibus Cisterciensis ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

PERSENNIÆ ET DE PINV
Abbatibus Cisterciensis ordinis.

Epiſt. 30.
De indicis
iuris inter
Regis Francie
& Angliae.
Vide epif. 31.

Quam sit necessarium Ecclesia sanctæ Dei & cuncto populo Christiano qui in regno Franciæ Angliæque consistit ut utriusque Reges pacem & concordiam secum habeant, nec eorum nec vestram credimus prudentiam ignorare, cùm præter damna rerum & pericula personarum quæ de mutuis eveniunt simulatibus, animarum salus graviter offendatur, & in périlis locis, specialiter in Provincia, pestis ex hoc hæretica fortius invaleat, quandoquidem illi ad invicem bella gerunt per quorum unitatem pestis eadem & deberet & posset efficacius aboleri. Cùm ergo post interfectionem sanctæ memorie fratris Petri de Castronovo in eadem Provincia ita ceperit detestabilis hæresis & hostilis rabies ampliari ut post divinæ virtutis potentiam nonnisi per eorundem concordiam reprehenda credatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus dictos Reges personaliter adeuntes, ipso tam auctoritate nostra quam vestra sollicitudine prudenter & efficaciter inducatis ad treugas per biennium saltem invicem incundas firmiter & servandas; mandatum nostrum taliter impletur quod sollicitudo vestra claret in effectu, & vos gaudere possitis tot animalium profecisse saluti. Quod si non ambo &c. alter vestrum &c.

Epiſt. 31.
De actis Petri
de Castronovo,
Riparia epif.
11. & pag.

In eundem ferè modum Turonensi Archiepiscopo usque in finem. Quocirca fraternitati tua per apostolica scripta mandamus quatenus li treugarum iplatum fœdus Deo conciliante fuerit reformatum, sublato eu-juslibet contradictionis & appellacionis ob-staculo ad observationem ipsius utramque partem postposito quolibet humano favore compellas. Datum Laterani.

ABBATI CISTERCIENSI
apostolice sedis Legato.

Epiſt. 32.
De actis Petri
de Castronovo,
Riparia epif.
11. & pag.

Receperimus litteras benignitate paterna quas tua nobis devotione destinavit, & intellecto per eas quod ad opus Dei strenue te accingis in Provinciam profecturus, ut confoleris Ecclesiam que diri vulneris novitate percussa mortem sanctæ memoria fratris Petri de Castronovo multiplicatis doloribus lamentatur, tuam prudentem constantiam & constantem prudentiam in Domino commendamus, attendentes quod cum secundum sententiam

veritatis timendi non sint qui corpus occidunt, sed qui potest corpus & animam mittere in gehennam, prefati hominis Dei mors non solum tibi ad divinum servitium exequendum non incusit timorem, sed amorem accedit, ut ejusdem exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animam tuam in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro ipso ponere non formides. Monemus ergo devotionem tuam & exhortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad eandem provinciam proficiens unâ cum venerabili fratre nostro Conferanensi Episcopo, tuo videlicet collegato, negotiorum generalis Ecclesiæ, prout posse ministraverit vobis Deus, prudenter & constanter satagas promovere. Nos enim in praesenti secundum consilium tuum litteras tibi mittimus quas credimus necessarias, & in posterum auxilium opportunum circa quælibet hoc negotium contingentia cum illius adjutorio impendemus qui cum secundum suum promissum fideles suos non sit usque ad consummationem seculi relictus, neque nos neque vos sperantes in se super tanto sui servitio derelinqueret. Datum Laterani.

TURONENSI ARCHIEPISCOPO
& Parisiensi & Nivernensi Episcopis.

Epiſt. 33.
Vt R. geni &
magnates ac-
cendant adver-
sus hæreticos.
Vide epif. 30.

Qualiter post interfectionem sanctæ memorie fratris Petri de Castronovo, quam communi lucetu cum universalis Ecclesiæ filiis deploramus, hæretica pestis in Provincia partibus invaluerit, & turbatio pacis ibidem fuerit ampliata, vestram non credimus prudentiam ignorare. Cùm ergo sancta mater Ecclesia contra laniatores suos præsidio filiorum suorum potissimum ibi nunc indigere nosfatur, fraternitatem vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus tam carissimum in Christo filium nostrum Philipum illustrem Regem Francorum quam universos regni sui nobiles & magnates ad conciliandam pacem in Christo & hæreticos expugnando in provincia supradicta auctoritate nostra suffulti prudenter & efficaciter inducatis, injungentes hoc eis ex parte nostra in suorum indulgentiam peccatorum, secundum formam quam tu, frater Parisiensis Episcope, impetrasti; Ecclesiarum prælatos nihilominus exhortando ut ad opus tam sanctum & necessarium subsidium opportunum impendant. Taliter autem mandatum apostolicum